



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Nicetius Episc. 1. Octobris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

O C T O B E R.

S. NICETIUS EPISC. I. Octobris.

NICETIVM prius cælum ad Sacerdotium, quàm Pont. destinavit, quando natus jam tunc Sacerdotale capitis decus coronam gestare visus est. Hanc amplius deinde infula Trevirensis exornavit, quam ubi illi Theodoricus rex decrevit, nescio quid grave cervici suæ tertium incumbere sensit. credo ut cum illo scirent omnes Pontifices, infulam non tam ornamentum capitis quàm onus esse. Sed onus hoc pares humeros in NICETIO invenit, & contra reges etiam fortes. Et evenit, ut cum aulæ asseclas à sacris prohibitos templo Theodobertus rex nollet excedere; homo à dæmone infessus uti virtutum NICETII, ita scelerum regis longum catalogum palàm recitaret, ut jam rex non illos modò, sed omnes omnino exesse templo percuperet. Cesserunt igitur illi ex æde sacrâ, mox dæmon ex homine etiam. Sed & in ipsos reges non semel fulmen sacrum vibravit, neque exilio, neque adedò morte intentatâ absteritus. At urbis servatorem & civium esse tunc paruit, quando grassante gravi lue mali genii illas voces auditi sunt loqui: Faceffite hinc socii, quando pro urbis alterâ portâ D. Eucharius, pro alterâ D. Maximinus, pro totâ urbe medius NICETIVS excubat. Quid? quòd Christus è turri conspicuus spectacula fecit NICETIO, & in scenam omnes ordine Gallorum reges produxit. Quid spectatorem tunc fecisse NICETIVM credis? ego, uti in Tragicomœdiâ fieri assolet, nunc risum, nunc lacrimas

lacrimas credo dedisse. *Ex Surio.*

Nemo quasi concretis sibi vitiis obsequatur, & quod est criminis, esse putet natura; sed sumat cum Christo arma jejunii, criminum propellat impetus, prosternat castra vitiorum, ut de ipso auctore mali, sumat, Christo simicante, victoriam. Diabolo victo, vitia nihil valent. S. Pet. Chryf. Serm. II.

S. BAVO CONF. 1. Octobris.

Aliam aulam BAVO cum conjuge, aliam hãc demortuã habitavit. Illa talis erat, qualem vetus nobilitas & è principe Francorum sanguine origo commendabat; hãc qualem cælum laudat, quercus primò cava, mox cella hoc augustior quò angustior. Sed si illam priorem plures homines, hanc ultimam plures Angeli frequentarunt. Auri-ga verò, qui ad hujus ædificium lapides conve-hebat, quas diras BAVONI imprecatus est, ipse sensit, cum à dæmone ex equo, à rotis equorumq; calcibus vitã ejectus est. Sed BAVO ut sanctè se vindicaret, vitam reddidit. Intereà evenit ut in servulum offenderet, quem olim in alienam ser-vitutem vendiderat. Veniam igitur oraturus sup-plex dominus mancipii pedesprehendit. Nec prius expiatam hanc noxam credidit, quàm do-mini tergum serviles manus virgis immaniter la-terassent. Addidit alterum ipse supplicium com-pedes, quibus lubens volens libertatem sibi ade-rit. Ita ligatus vicit tamen quoties cum dæmone vit (& sæpè fuit) pugnandum. Victorem corona-vit crux cælo delapsa, & caput multo splendore ambiens, quam ille ita salutavit: *Agnosco gloriosa militiã meã signa.* Morienti Angeli, imò Christus præstò fuit. Certè suprema verba BAVONIS illa feruntur: